

navit, in archivo et armariolo ^{a)} nostri pectoris recolentes puritatem vestre fidei veteris et moderne, quam erga imperiale nomen geritis et gessistis. Legatos quoque vestros nostre celsitudini destinatos alacriter suscepimus et gratanter et postulatis ipsorum exauditionis auditum gratiose ^{b)} concessimus in effectum, sicut ipsorum recitatio vos docebit.

X.

(Kaiser) *Fr(iedrich II.) ermutigt Getreue (in Reichsitalien), die von einem unglücklichen Ereignis betroffen worden sind, und teilt ihnen mit, daß er bald nach Italien kommen werde, um die Ungebühr der Gesetzesübertreter in Schranken zu halten.*

(1220—1250) ¹⁾.

Hs. fol. 19^v—20^r.

Fr[idericus] etc.

Sinistri casus acerbitas ^{e)}, quam vestra et sociorum vestrorum dilectorum fidelium et devotorum nostrorum et inquieta tranquillitas ^{d)} et interrupta iocunditas deplorant ^{e)}, poculi nostri dulcedini absinthium ^{f)} amaritudinis immiscuit et serenitati mentis nostre nebulas contristative et turbative caliginis superduxit; nimirum, cum sic integraliter cor nostrum et animum vestra nobis spontanea illuxit devotio, quod merito volumus et debemus nostris propriis rebus ascribere, quicquid prosperitas vobis iocundi peperit et adversitas iniocundi. In hoc tamen et nobis et vobis expedit recreativum spiritum consolationis assumere, quod plura et magna, favente Domino, vobis et vestris auxiliaria remansere ^{g)} presidia, que vobis possunt et debent tempore presenti tristitiam confortative ^{h)} lenire, ymmo soporem ⁱ⁾ solamine [excutare] et firmam super optato salubri ^{k)} statu vestro reparationum spem prebere. Adversus [est] siquidem iste casus, sed viriliter, ut debetis, et sapienter adversamini ^{l)}; magnam dare potest materiam exercende virtutis prestantiam, qua hactenus ^{m)} enisi precordialiter florem pre ceteris [servetis] et tabescere non sinatis, quia si exercitium strenuitatis et probitatis laudis preconium mereretur in prosperis, multo fortius in adversis. Abicite ergo, viri magnanimi, semper hactenus ⁿ⁾ excellentes ^{o)} in arduis

^{a)} armariollo *Hs.* ^{b)} gratiose *Hs.* ^{e)} acerbitas *Hs.* ^{d)} tranquillitas *Hs.* ^{e)} diploatur *Hs.* ^{f)} abticium *Hs.* ^{g)} remanssere *Hs.* ^{h)} confortativa *Hs.* ⁱ⁾ soperiem *Hs.* ^{k)} celebri *Hs.* ^{l)} advertatis *Hs.* ^{m)} actenus *Hs.* ⁿ⁾ actenus *Hs.* ^{o)} excelentes *Hs.*

¹⁾ *Vgl. oben S. 407 Nr. 67.*